


SANCTI
PATRIS NOSTRI

RAYMANDI NONNATI
S. R. E. Diachoni Cardinalis S. Eustachij,
ex Sacro Ordin. B. Mariæ de Mercede Redemp-
tione captiuorum assumpti vita; ex
ijs, qui eam scripserunt excerpta,
& epitomata.



RAYMUNDVM, Portelli Oppidum
Solsonens. Diœcesis, in Principatu Got-
tholaniz, citerioris Hispaniz, tulit. Qui
inde Nonnati cognomen sortitus est,
quod casu defunctæ matris utero pro-
diijt. Infans, in bonorum operum se præ-
iudij exercens, epulis carnis explosæ, & deuicijs appe-
titionibus, quæ primis ab incunabilis infantes solent à
re virtutis tramite deuiare; non semel, aut bis, sed
pluries in hebdomada ieiunabat. Quadam autem die,
cum ipse à patre magister pecorum constitutus, in Diui
nicolai Episcopi Sacello, non longe ab ipso Portelli
Oppido sito, suas preces, & orationes Deum alloquens

K

fu-n

funderet, vti consueverat, in medio solis die, inque ipsolunine, Sanctissima Virgo Maria, noui Redemptorij Ordinis fundatrix, protectrixque, sereno vultu se illi visibilem obiecit: iussitque, vt in nouo à se instituto Ordine habitum protinus ipse postularer, ibi ad extremam vsque vitæ terminum permanens. Cumque rem ipse fore propnderet arduam: dicens, quis mihi crederet; o Deipara? Quis me tanto favore dignum existimabit, cum sim puluis, & cinis? Ipsa respondit. Prope est Caronæ Comes, cui obuius meam patefacies voluntatem; dicens, acceptissimum mihi futurum, vt sua protectione adiutus in ipso Ordine recipiaris, vt ibi filio meo, ac mihi, quandiu vitæ fuerit tibi Comes, fideliter obsequaris.

Raymundus igitur, postquam Deiparæ pro suscepto beneficio gratias egit, Comitem propè discursantem adiit, diuinam reuelationem patefecit sibi factam, de recipiendo habitu in nouo Ordine Redemptorum. Quam veram cognoscens, simul ac venerans, dedit operam, vt continuo Raymundus admitteretur ad fratrum consortium. Admissus, haud facile est eius in virtute progressus enarrare. Vita clauit, & gestis, ita vt in admiratione fuerit in Prouincia Cathaloniz. Et cum in omnium virtutum exercitijs excellens extiterit; in charitate præsertim erga captiuos Christianos dura seruitute ab infidelibus detentos excellentior euasit. Crebro pro suæ professionis debito persoluendo ad infideles commeabat, neque semel in salutis discrimen veniebat, cum vt alios periculo eximeret, liberabat. Eius in loquendo sermones, præsertim cum Barbaris, & infidelibus, adeo efficaces fuerunt, & ex Dei beneficio diuini, vt plerosque interdum eorum ad fidem pertraxerit; quò legimus Mauros, & Sarracenos, sæpius voluisse eum mortui tradere: sed capitis sententiam semel in eum latam Rex Maurozum auidus, & auarus, ne lucrum cum Christianis perderet, pro crastinando, deatim implere

recusant. Verum es eius, ne ipsius sermonibus, ex eisdem infidelibus plures alios ad Christi Fidem traheret, & imitaret, repagulo ferreo conclusit; ipse tamen per labiorum foramina, quasi per plura dilatata ora, verbum Domini infidelibus propalabat, non sine magno ipsorum fructu; quorum nonnulli fuerunt ad Christi Fidem conuersi.

Inde demum, soluto pretio, pro quo detinebatur, exiit. Hispaniam venit; ab omnibus gratanter exceptus, pluris quam aprea cepit estimari. Eius vita sanctimonia cognita Gregorius Papa IX. cum Cardinalibus insigniuit honore, anno Domini M. CC. XXIII. mense Decembris: quo insignitus nullam sane magnificentiam, aut sumptuosi apparatus rationem admisit: inopem Monachum egit, humilitatem in visu, & vestitu conservando, ac Ordinis constitutiones, & ceremonias retinendo. Sed parum superavit, nondum enim integrum in noua dignitate compleuerat annum, & mortuus est pridie Kal. Septemb. Anno Dni M. CC. XXXV. Fuit per totum vitæ suæ tempus in Virginem Deiparam valde pius, sed in Sanctum Eucharistia Sacramentum multum deuotus: nõ nisi magnis egritudinibus, ipsiq; periculosissimis impeditus. Missæ celebratione omittebat: ideo Christus Dominus fidelem seruum morti proximum inaudito fauore voluit consolari. Ferunt igitur ipsum Dominum, multis Angelis circum vallatum, domum Comitum de Cardona (vbi Raymundus diem clausit extremum) processionaliter ingressum, ipsum in cubiculo communicasse. Quis non erga fidelem seruum diuinam clementiam miratur? Claruit Raymundus multis miraculis in vita, & post mortem insignis, Gregorio IX. Romano Pontifice, Friderico II. Germano Casare. Eum Benedictus XIII. in Sanctos reuoluit. Corpus tamen ipsius, & sepulchrum, magna veneratione colitur, & ad eum quorannis sui obitus die, ingens confluit turba fidelium.

Eius mentionem facit Raphael Volaterr. in Antropol. lib. 2. c. de Ordinibus militaribus. Arnoldus Vvion lib. 1. ligat. vita. c. 87. Karolus Tapia. de Relig. rebus, Alphonfus Ciaconius Dominicanus, in vita Gregorij IX. Pont. Honorijus Meneſcal in Serm. Iacobi II. Arago. Regis. Franciscus Martorellus à Luna, in histor. Cinguli B. M. ciuit. Dertulens. lib. 2. cap. 23. vbi sanctos omnes Principatus Cathalonix enumerat. Et ex nostris Mag. Zumel XXXIII. Generalis. M. Ordin. in vita primi Magistri. F. Philip. Guimara. XXXVI. Generalis. M. Ord. Episcopus Iaccens. lib. 1. Hist. Ord. c. 11. & lib. 3. cap. 2. §. 5. & c. 5. §. 3. F. Gaspar Tórrés. Episcopus Canariens. in Historiola Ord. F. Melchior Roderic⁹ à Torres, Episcopus Rossenensis, in Agricultura. pluribus in locis; potissimum tract. 2. c. 6. §. 6. & alibi. F. Fraciscus de Vera, Episcopus Elnens. in collectione priuilegiorum Ord. Fr. Ioannes Gutterrius Stramarens. in lib. Magnalium Nominis Iesu, cap. 10. lect. 3. Bernard. de Vargas. 1. p. Hist. Ord. lib. 1. c. 32. ad annum Dñi 1279. & lib. 2. c. 3. ad annum 1334. & eodem lib. c. 11. ad annum 1414. sed errat in temporum supputatione, veridicus alioquin auctor. Ildephons. Remon. 1. par. Hist. Ord. lib. 3. per plura capita. Agunt igitur de Raymundo, quotquot nostri Ordinis Historias scripsere.





V R B A N V S

P A P A V I I I .

Ad perpetuam rei memoriam.





ALVATORIS, & Domini nostri Iesu Christi, qui seruos suos æternæ gloriæ premio donat in cœlis, vices quamquam immeriti gerentes in terris, ex iniuncto Nobis desuper Pastoralis officij debito procurare tenemur, vt eorundem Seruorum Christi debita veneratio in dies magis promoueatur, laudeturque Dominus in Sanctis suis. Quam obrem fidelium quorumlibet, præsertim verò sub suavi Religionis iugo Altissimo famulantium, veris, qua peculiarem sanctorum huiusmodi cultum respiciunt, libenter annuimus, prout conspiciamus in Domino salubriter expedire. Sanè dilectus filius Didacus de Sancto Raymundo Procurator Generalis Ordinis Fratrum Discalceatorum nuncupatorum Beate Mariæ de Mercede Redemptoris captiuorum Nobis nuper exponi fecit, quod fratres prædicti pro eo, quem erga sanctum Raymundum Nonnar. eiusdem Ordinis dùm vixit professum, ac S.R.E. Cardinalé, gerūt deuotionis affectu, gen. christi

Christi fidelium erga illum deuotionem, officium, & Missam de eodem sancto Raymundo, vt infra, recitari, & celebrari posse sumopere desiderant; Nobis propterea idem Didacus totius Ordinis huiusmodi nomine humiliter supplicari fecit, vt de opportuna ad hoc licentia prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur pijs Didaci, & Fratrum prædictorum votis in præmissis annuere, illosque specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & penis à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum præsentium duntaxat consequendum hæc serie absoluti, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinari, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum consilio. Vt de eodem Sancto Raymundo, die eius festo, officium, & Missa de communi confessoris non Pontificis, iuxta rubricas Missalis, & Breuiarij Romani ab omnibus prædicti Ordinis vtriusque sexus regularibus personis tantum recitari, & celebrari respectiue, libere, & licite possit, & valeat Apostolica auctoritate, ten. præsentium licentiam, & facultatem concedimus, & impartimur. Non obstant. Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam in impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides vbiq; adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorè sub Annulo Piscatoris die v. Nonembris, M. DC. XXV. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

V. Theatin.

DECRETO
DE LA SACRA
CONGREGACION DE
Ritos, alcançado á instancia del Padre Fr.
Diego de san Ramon, Procurador General
de la Recoleccion de la Orden de nuestra
Señora de la Merced en la Curia Romana:
Para que en todo el dicho Orden se reze
de San Ramon Nonacido, con officio
doble de comun de vn Confessor
no Pontifice.

ONGREGATIO Sacra Rituum
ad maiorem Sanctorum gloriam,
ac diuini cultus augmentum, festi-
rum Sancti Raymundi Nonnati,
Ordinis B. Mariæ de Mercede, ac S. R. E.
Cardinalis, re maturè discussa, in vniuersa
Religione prædicta, cum officio, & Missa
de communi Confessorum non Pontificum,
celebrare posse concessit. Franciscus Maria
Cardinalis à Monte. Loco  Sigilli. Io. B.
electus firmanus Secretarius.



CON LICENCIA,

EN GRANADA,

Por Martin Fernandez

Zambrano. Año

1627.